



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agrippinae, 1684

64. Executores Apostolici an procedere possint contra exemptos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

get omnes conveniunt, at vero an ignorantes in eo omnes valde dissentiunt, ut patet ex Gondislaio de Villadiego, Aenea de falconibus, & aliis hic allegatis Paucis Quintilianus Mandolius late censuit & probavit tract. de inhibitionib. quaest. 36. solus Papae aut Principis decretum afficere ignorantes, quod tamen limitat ne quidem ignorantes liget aut afficiat respectu praeteritae cap. beneficia ubi Anchor. n. 2. not. de praebend. in 6 glo. Clem. nolentes vers. eo tunc de haeretic. lo. Andr. cap. tibi qui circa fin. ubi Gem. col. ult. vers. vel dic. n. 18. de reser. in 6. Anto. de Butr. cap. cognoscentes col. 4. fall. 2. ubi imol. & Fel. col. 9. limit. 4. de constit. Mandos. de Monitorijs quaest. 60. n. 47. Qua de re videtur etiam poterit Gregorius Sayrus in Thesaurio Theolog. moralis par. 1. lib. 1. cap. 18. per tot. ubi tractat de variis effectibus ignorantiae & causis quae excusant ab excommunicatione ad quem compendii gratia recurri poterit: ac etiam Gonzalez ad Reg. VIII. Cancellariae Apostolicae.

QVAESTIO LXIV.

Executores Apostolici an procedere possint contra exemptos.

SUMMARIUM.

1. Non procedunt contra exemptos nisi exemptionis facta mentione. 2. Executores non tenentur exequi nisi Bulla executionis contineat tenorem sententiae.

Quaestio haec proponitur à Cardinali in Clem. dudum §. nos etenim num. 4. de sa. 1. ubi videtur inclinare in affirmativam, ex quo ejusmodi executores gerant vices Papae, cui exempti subjiciuntur, alijs tamen ibidem magis placet opinio Laudensis qua de re non nihil supra eod. lib. quaest. 33. Diximus enim haec tenus varijs in locis exemptos nemini alteri subjici quam sanctae Sedi; aut ejus legato à latere, nisi tamen Pontificiae delegationis aliud importent, id enim totum pendet à facultate legatorum per cap. si Abbate §. fin. de elect. in 6. dixi late supra lib. 2. quaest. 2. adeo quod commissiones & rescripta non facta mentione exemptionis stylo Rom. Curiae non subsistant, qua de re abunde satis diximus supra lib. 2. 6. 3. per tot. signanter n. 8. 9. 10. 11. 12.

Illud autem obiter hoc loci dictum sit, quod executores non tenentur ad executiones procedere, nisi Bulla executionis contineat totum tenorem sententiae exequenda, sicut enim sententiae faciat mentionem, eidem tamen credendum non est, nisi aut sententia reproducatur, aut tenor sententiae rescripto executorio inseratur, qua de re Romanus & DD. Rom. cons. 336. incip. circa propositam consultationem in qua primo quaeritur numquid dicitur executor. 1. a son. Auth. si quis in aliquo n. 8. C. de edendo.